



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Echinus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A Maledicum hominem probos improbosque æque carpentem significare qui volunt, Purpuram exerta pingunt lingua, quæ quidem illi tam acuta & valida est, ut ea & conchulas, & quascumque sui generis testas perforare possit: quæ cum ita sint omnivora, frequens illud in edaces dictum emanavit, *Purpura vomitor*: de quo apud Athenæum plura comperies.

DE GULA MULTATUS. CAP. LXX.

A Tque inde sorte proverbium, quod Purpuræ plurimum per linguam escas inquirentem capiuntur. Et qui hominem qui de ganea penas dederit significare volunt, conchylium hujusmodi nasæ per linguam applicitum pingunt: siquidem ejus captura in hunc sapius efficitur modum. Parvæ densæque; admodum nasæ Strombus piscis includitur, hunc avidissime captat Purpura, quem si mulac illuc oclclusum olfecerit, in certa per nasæ juncos lingua eum assequi contendit, dumque ille volutatione luctatur, ea magis ac magis linguam protendit: accidit vero ut in eo conatu tumefiat, ut nulla eam extrahendi copia relinquatur, atque ita detenta per linguam captiva fiat. Verum hoc picturæ genus in hujusmodi significatum aliter etiam figuratur, conchulam quippe pingunt, quæ Purpuræ linguam morfu comprehenderit. Piscatores siquidem cum purpuram norint concharum passionem avidius appetere, has in nasas magno numero coniectas in mare demittunt, oblongo tunc ad nasas alligato: sentiunt optatam escam Purpuræ, porrectisque intra nasarum juncos linguis, eas infestant, at illæ aculeo extimulata incolumitati suæ consulturæ contrahunt sese, corticibusque clausis morfu perquam acri linguam infestam comprimunt, pertinacissimeque detentam haud quaquam amittunt, atque ita pendentes sua captæ aviditate Purpuræ tolluntur.

UNO EXANIMATUS ICTU. CAP. LXXI.

Hominem vero interemptum uno ictu ostendere qui volunt, Purpuram saxo elisam pingunt: siquidem infestiores ajunt, quas Purpuras in artis suæ usum parant, saxo uno ictu collidendas, unde subitarius ille sanguis ad tinctum optimus emanat: quod si ictu sefellerit, neque Purpura statim exanimata fuerit, frustra repeti, quia præ dolore sanguis in universum corpus diffusus evanescat. Hinc ajunt Homerum totiens de iis, qui valido aliquo vulnere perempti fuerint, Purpurea eos morte sublatos dicere: quem imitatus Maro, nunc *Purpuream vomit ille animam*, nunc quid hujusmodi sepe protulerit. Quamvis ad sanguinem, in quo anima sedem habeat, Servius hoc referri putat, de quo satis in Accipitris commentario dictum.

SECESSUS. CAP. LXXII.

Sunt qui secessum per Purpuram ostendant: propterea quod Purpura non nisi in imo reperiatur pelago, unde verbum apud Apollonium Argonauticon primo, *πορφυροειδον*, quod purpurascere dicere possumus, ubi profundum esse interpret exponit, ea quam memoravimus Purpuræ naturæ reposita. Hinc mare purpureum, pro profundum, Poetæ sapius posuere.

DE ECHINO. CAP. LXXIII.

Marinus huc Echinus obvolvitur, lenticulari propemodum figura, cochleari crosta, scabritie varia: crebris lineamentis rectilineis, quatenus in spherica figura fieri potest, picturata iisdem quibus terrestris armatus spinis, verum iis micantioribus, & nunc cocco, nunc purpura, nunc puniceo colore splendescentibus, qua parte rostrum à medio ventre exerit reductior, à tergo gibbosior: atque is est, de quo Martialis ait,

Cortice deposito mollis Echinus erit.

DIFFICILIS ATQUE MOROSUS. CAP. LXXIV.

Atque ut ad ejus significata jam aggrediamur, hominem qui cum difficulter, vel nulla unquam ratione consuetudinem inire possit, ex hieroglyphico ejus monstrabant: quippe quem qua tractare volueris, asperitate renitentiaque, horridum experire, atque itidem ex hoc asperitatem eam, quam Horatius damnat, agrestem, inconcinnam, atque gravem, per hoc animal notabant: nam & nomen illi *αχρηστα* dicitur, plerique impositum asseverant, quia scilicet haberi non possit propter

Athen. lib. Dipnoi. Λιχνοτα. es. τιν. πορφυροειδ. Plin. lib. 9. cap. 36. Quomodo capiatur Purpura. Purpurea mors cur dicta. Encl. lib. 9. Virgilius 4. Georg. In mare purpureum violentior insuet. a. mna. Et Cl. zero mare purpura cere ait. 2. Act. Unde Fro. Serbiam. Exliv. τρωχ. τρωχ. E vino asperior. propter